DE ADVENTV
SPIRITVS SANCTI.
ORATIO.

IESV Chriſti iuſtitiam B. P. hoc die Spiritus Sanctus aduenięs graui ſuo teſtimonio confirmat, & diſcipulorũ eius mentes contra omnem improborum hominum audaciam ad ſacra myſteria prædicandum charitatis facibus inflammat. Nam Deum & hominem eſſe, atque ęterni patris voluntati cunctis in rebus ipſum vſque ad mortem crucis obſequutum fuiſſe teſtatur. propter quod in cœlum de huius mundi principe, & tenebrarum rectore deuicto glorioſiſſimum triumphum egit. Quod autem aliud opus iuſtitiæ maius dici poteſt, quam diuinis monitis mandatisq; parere? Sed & eos, qui Chriſti fidem in vniuerſum orbem terrarum diſſeminaturi erant, oportebat cœleſtis ſapientiæ radiis illuſtrari, vt res humanam intelligentiam ſuperantes edicerent, & armis diuinæ fortitudinis armati, quibus tecti impiorum hominum inſano furori, atque immani ſæuitiæ reſiſterent. Quamobrem de Spiritu Sancto ad Apoſtolos in linguarum ignearum forma miſſo pauca primum diſſeram; tum quo modo in Chriſtianorum corda labatur ſtrictim indicabo. vnde, opinor, intelligetur quid pręſtare debeamus, vt cum cæteris ſummi Dei cultoribus noſtras quoque mentes, & animos afflet. Atque equidem prius de di-

uinarum perſonarum in terras aſpectabili miſsione dicam; mox vero de ea, quæ in hominum animos ſanctificandi illos gratia fit ſenſum omnem effugiens. Cumque diuinæ perſonæ tres numero ſint, tamen (vt ſacræ literæ produnt) illarum duæ tantum ad nos miſſæ ſunt filius, & Spiritus Sanctus; quorum alter formam ſerui, humanam inquam naturam aſſumpſit, alter modo in columbæ, modo in nubis, modo in flaminis, modo in ignis ſpecie apparuit. Patrem nunquam miſſum legimus. Sed nequis alio alium honoris gradu ſuperiorem exiſtimet, quod iſte mittat, ille mittatur, huius verbi vim diligenter inſpiciamus. Ac ſanè cum mitti aliquem audimus, & a quo, & quo mittatur ſimul aduertimus. At inter nos qui alios aliquo mittendi poteſtatem habet, quaſi imperandi ius obtinens authoritate excellit: verum in diuinarum perſonarum quarum par eſt dignitas, miſsionibus non imperium, ſed productio à nobis conſideranda primum eſt. Nam filium à patre tantum mitti videmus, à quo ſolo generatur; & ab vtroque Spiritum Sanctum, qui amor eſt vtriuſque. Mitti patrem non legimus, qui originem à nullo ducit, aliorum ipſe principium & origo. Ac quia diuinę miſsionis initium agnoſcimus (quod quidem æternum eſt, quoniam æterna productio) terminum inſpiciamus, hoc eſt, inuſitatum diuinæ perſonę pro tempore exiſtendi modum ſine vlla dignitatis ſuæ imminutione. Sic verbum patris Dei nouo modo ſe habuit, cum caro factum eſt; nec de ſua tamen amplitudine quicquam amiſit. Sic quoque Spiritus Sancti maieſtas nihilum ignis ſpecie immutata eſt; in qua nouam quandam oſtendendi ſui rationem iniuit. Verumtamen filius in ſua perſona humanitatem cum diuinitate coniunxit, qui ad redimendum genus humanum e diaboli ſeruitute venerat: Spiritus Sanctus vero naturas rerum, in quarum ſe figuris oſtendit, cum diuina non copulauit, quod ſolum eſſent veræ religionis & ſanctitatis notæ. prout columba in Chriſti baptiſmo apparens cœleſtis gratiæ plenitudinem notat; nubes in eiuſdem transfiguratione viſa diuinum magiſterium demonſtrat; flatus à Chriſto in ſuos diſcipulos immiſſus datam Eccleſiæ miniſtris rem Chriſtianam ordinandi,

& iuriſ-

& iuriſdicendi facultatem deſignat; ignis mortales inſtruendi munus Apoſtolis collatum ſignificat. ſic rerum diuinarum notiones à Deo nobis ſæpe rerum aſpectabilium notis traditæ ſunt: nempe quorum intelligentia dum in hoc mortali corpore incluſa eſt, cognitionem à ſenſibus ducit. At vero decebat filium caput Eccleſiæ, authorem vitæ, vindicem libertatis, per quem diuini numinis gratiam & peccatorum veniam conſequuti ſumus, ante Spiritum Sanctum mitti, qui ſanctificationis eſt donum, atque eius incarnationis certus & integer teſtis. Proinde D. Paulus ſacramentum pietatis (ſic enim verbi incarnationem vocat, quæ à patris maxima & occulta pietate profecta eſt) in Spiritu Sancto iuſtificatum eſſe pronunciat. Et diuinæ quidem perſonæ cadens ſub aſpectum miſsio ad humani animi ſanctificationem pertinet; ſanctificatio autem ex Dei gratia eſt; Dei gratia vero nobis à Chriſto comparatur humani generis Saluatore. Vnde Spiritus Sanctus præſentiæ ſuę nullum vnquam antea ſignum dedit, quam filius homo eſſe cœpit, atque inter mortales humana conditione verſari; nec ad diſcipulos Chriſti prius venit, quam Chriſtus (vt Euangeliſta Ioannes tradit) glorificatus fuit. Veniens autem perfectam Dei cognitionem in eorum animis generat, & ardentem pariter diuini numinis amorem excitat. quorum deinde doctrinis imbuti, & præceptis vitæ perpoliti nos verum Deum cognoſcimus, ipſumque in Spiritu & veritate (ſicut Chriſtus prædixit) veneramur & colimus. Sed de diuinarum perſonarum aſpectabili miſſione ſatis: nunc aliquid de ea dicamus, quæ nullo ſenſu percipitur ſanctum & Deo charum hominem, reddens; ad quam nimirum aſpectabilis illa refertur. Nam quæcunque à Deo facta ſunt ad noſtram ſalutem & iuſtificationem facta ſunt. Fit autem homo ſanctus & iuſtus, hoc eſt, æterna gloria dignus non humana ſed diuina, non ſua ſed cœleſti, non parta ſed à Deo inſita virtute: quæ quia gratis inſeritur, gratia nominatur. Eſt enim gratia qualitas quædam à Deo gratis animæ infuſa, qua naturam diuinam participat, immortalis illius & auguſtæ vitæ primordium. Ab hac cuncta bona, quæ mente optari poſſunt, in nos

B 2 velut

velut à fonte dimanant. Ac quando tota Trinitas aquam gratiæ in hominis animum inſtillat, tota etiam Trinitas ex animo criminum ſordes eluit (hoc quippe eſt ſanctificare) & in caſta poſt mente, tanquam in ſacra ſibi æde proprioque domicilio, habitat. Nec tamen omnibus diuinis perſonis nomen miſsionis accommodatur, ſed dumtaxat iis, quæ naturam ſuam aliæ acceptam referunt. Etenim duo hæc in diuinarum perſonarum miſsione (vt ante dictum eſt) & origo perſonæ, & modus exiſtendi nouus obſeruanda ſunt. Perſpicuum autem eſt ratione principii ſoli filio, & Spiritui Sancto miſsionis nomen conuenire, qui ab alio ſunt: at in hominis animo per gratiam habitare, quę habitatio ipſa eſt Dei nouus exiſtendi modus, nullius perſonæ proprium, ſed omnium commune eſt; quandoquidem ex æquo iſtud omnes attingit. Hoc nimirum eſt illud, quod filius de ſe ac patre & Spiritu Sancto loquitur, qui dilectionis voce notatur (vt in Euangelio ſcriptum eſt, quod hoc die in Eccleſia legitur) ad eum, inquiens, qui diuina pręcepta obſeruat, veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Vt igitur iſtius miſsionis terminus omnibus perſonis æqualiter pateat, certe initium peculiare tantum his eſt, quæ originem habent. Ni forte patrem mitti à ſe ipſo dicamus, cum ſponte nobis ſeipſum dat. At vero licet vna ſit gratiæ radix, tamen variam eius vim, effectumque videmus. Nam fidei luce intelligentiam illuminat, & charitatis flamma voluntatem accendit. Et filio quidem mentis illuſtratio aſsignatur, qui patris ſapientia eſt; voluntatis vero inflammatio Spiritui Sancto adſcribitur, qui mutua patris eſt filiique dilectio. Ita filii & Spiritus Sancti miſsiones varijs effectibus gratiæ diſtinguuntur, quæ in vna eius radice conueniunt. Nec inficior totam Trinitatem nobis dona gratię largiri; ſed qua ratione filio ſapientiam, & Spiritui Sancto charitatem, eadem etiam intelligentię ſplendorem filio, & voluntatis ardorem Spiritui Sancto tribuimus. Nec ſolum diuinarum perſonarum dona nobis, ſed etiam ipſemet diuinæ perſonæ ex diuina benignitate donantur. Donantur autem, cum in nobis manſionem faciunt. Templum enim Dei ſumus. Ideo

quo apparatu noſter animus inſtruendus ſit vt tantum hoſpitem recipiamus, breuiter nunc explicabo. Vna res nobis ad excipiendum Spiritum Sanctum in primis neceſſaria eſt, peccatorum deteſtatio. Non enim gratia peccatum ſecum eſſe patitur; neque eſt vllum Deo cum Belial, Diabolove comercium. Ergo fugienda ſuperbia eſt; quia Spiritus Sanctus ſuper humilem corde, & timentem Deũ quieſcit. Fugiendum mendacium; quia Spiritus Sanctus Spiritus eſt veritatis, vt Diabolus contra Spiritus erroris eſt, paterque mendacii. Fugiendum odium, quia Spiritus Sanctus eſt ipſa dilectio. Et ne ſingula commemorem, præ cæteris fugienda libido, quæ non ſolum e ſuo regno rationem expellit, ſed etiam mentem turpiſsimis ſordibus maculiſque contaminat: Spiritus Sanctus autem, qui caſtus, & purus, atque omnis contagionis expers eſt, omnem turpificati animi & corporis fœditatem abhorret. Quocirca D.Paulus ad Corinthios ſcribit, An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt? quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Nec profecto Deum, qui charitas eſt, portare is poteſt, qui fratrem ſuum odio habet. Et ni Spiritus Sanctus in nobis ſit, qui voluntatem noſtram ſuo numine afficiat, leue & infirmum eſt omne, quod agimus. Nam ſi noſtrarum actionum tantum quod in noſtra poteſtate poſitum eſt principiũ conſideremus, tunc (vt D. Pauli verbis vtar) non ſunt condignæ paſsiones huius vitæ ad futuram gloriam: ſin Spiritus Sancti in noſtro animo tanquam in equo ſedentis inſtinctum reſpiciamus, tunc quia noſtrarum actionum principium diuinum eſt, fructum quoque diuinum mercedemq; deſiderant. Equidem merendi ratio charitas eſt omnium mater, & forma virtutum. Spiritus Sanctus vero nobis in charitate datur, cuius ſpeciem præcipue gerit, cum ſit ipſemet amor: ex quo nomen inuenit. Spiritus enim vitalem quendam motum ſignificat, quo à corde cætera membra cientur. Atqui ad agendum amor impellit. Quamobrem bene D. Ioannes. Qui manet in charitate, inquit, in Deo manet, & Deus in eo: ac præclare D.Pau-

D. Paulus Spiritum Sanctum hæreditatis pignus appellat; quo videlicet præſente cœleſtis regni poſſeſsionem manu tenemus. Te igitur ſancte Spiritus, cuius virtute noſtra ſalus & fœlicitas continetur precamur, vt in noſtros animos illabaris, ac Dei charitatem diffundas, qua perfecte beati cum patre & filio tecum æterno tempore viuamus.

LAVS DEO.

LA NAZ. ROMA